



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CXLIX. De Morte plurium civium de Colmense.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. CXLVIII.

De

Obsidione Civitatis Colmense.

Posthæc venit exercitus Pruthenorum, & civitatem Colmense obsedit. De quo Episcopus turbatus vocavit ad se Nobiles & feodotarios, injungens eis pro peccatis, ut exirent & diligentius explorarent numerum exercitus & valorem. Quibus euntibus occurrerunt quidam Prutheni, cum quibus convenerunt in bello, & unum ex eis virum longissimum, qui plus quam ab humero & sursum omnes alios in longitudine excedebat, vulneraverunt, secum ad civitatem semivivum deducentes, pro cuius captione Capitaneus Pruthenorum turbatus ultra modum, promisit recedere ab obsidione, & nulli Christiano homini nocere, ut eis dictis Vir sic vulneratus redderetur hoc ex utraque parte factum fuit.

CAP. CXLIX.

De

Morte plurium civium de Colmense.

Tempore messum venit exercitus Pruthenorum & XIII. diebus occultavit se in nemore circa locum, qui dicitur Vugelsang; ita tamen quod singulis diebus pauci comparuerunt in campo, & cives de messibus fugaverunt. Tandem cum segetes essent maturæ, nec amplius sine damno possent stare, cives credentes exercitum recessisse, exierunt omnes ad messem, quo viso Prutheni cum magno & horribili insultu irruentes in eos, occiderunt viros, & mulieres, & parvulos, in captivitatem perpetuam deduxerunt.

Hh 3

CAP.